

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Nummotheca Principum Austriae**

ex gazis Aulae Caesareae potissimum instructa, & aliunde aucta, quae a prima aetate, qua in Austria cusa fuit moneta Sub Babenbergicae Stirpis Marchionibus, Ad Usque Habsburgicae Gentis Principes, Lineae Hispano-Austriacae, Huiusque Masculum Ultimum Carolum II. Regem Hispan.

Complectitur tabulas aeri incisas LI

**Herrgott, Marquart**

**Friburgi Brisgoviae, 1752**

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-241470](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-241470)



Tab.  
XXXIV.

detecta, vertente sæculo xv. *India Orientali & Occidentali*, ad definiendos iustos limites, inter FERDINANDUM V. *Castilia*, & IOANNEM II. *Lusitania* Reges, conventum fuerit, ut ab uno ad alterum polum linea per insulas *Caribas* duceretur, & quidquid *Orientem* spectaret, *Lusitanis*; quidquid vero versus *Occidentem* solem detectum fuisset, *Hispanis* cederet. Postquam vero *Lusitania* & *Hispania* regna in unum coaluerunt, linea illa, utramque *Indiam* dividens, antiquata fuit, nec alia hodie a cæteris Europæ Principibus agnoscitur linea, quam *Aequinoctialis*, quæ quidem globum, in hoc nummo nostro expressum, in duas æquales partes dispescit. His itaque opibus Rex *Hispanie* auctus, aut mox, acquisita *Lusitania*, augendus, facili negotio fieri posse existimabat, ut non solum rebelles Belgas in ordinem redigere, sed & viam ad monarchiam universalem sibi aperire posset. Quod in animo habuisse, ex sequentibus nummis magis elucescet. Hæc fere D. VAN. LOON *loc. cit.* p. 282.

LXXXIX.

PHILIPPVS. II. HISPAN. *iarum*  
ET. NOVI. ORBIS. OCCIDVI. REX.  
Effigies Regis ut num. LXXXIX.

RELIQVVM DATVRA INDIA,  
quæ ultima vox in exergo legitur. Figura muliebris stans, *India* videlicet symbolum, ambabus manibus sphaeram præferens, quam navi *Hispanicæ* offert. Eam sequuntur multæ

gentes *Indice*, omnes *Hispanis* PHILIPPUS II. HISPANIARUM REX. cultum exhibituræ. Conspiciuntur in mari aliquot aliæ naves, merces *Indicas* advehentes.

Postquam *Hispani*, tota quoque *India Orientali*, tanquam *Lusitania* appendice, capta, utriusque *Indiæ* fruebantur opibus, de monarchia quadam universali cogitabant; nihil thesauris *Indicis* deinceps resistere posse reputantes. Hinc nummi perigraphæ: RELIQVVM DATVRA INDIA. M. Imp. ar. pond. semiunc. & semidrach. V. L. *loc. cit.*

XC.

Eadem, quæ in priori, adversa pars, nisi quod sub Regis scapula artificis nomen legitur: I. PAVL. POG. F. *ecit.*

HISPANIA. *rum* VTRIVSQ. *ue* ORBIS REGNATRIX. Figura muliebris armata, *Hispanie* symbolum, super armis in cumulum congestis, superbo tropæo, a tergo erecto, assidens. Ad pedes eius provoluta est alia femina, duas illi claves, utriusque scilicet orbis, antiqui, novive, porrigens. Per aerem fama volitat, gloriam *Hispanorum* ubique annuntiatura.

Egregium fastus *Hispanici* documentum! Occasio eius facile ex prioribus repetitur. *Id. ibid.*

XCI.

PHILIP. *pus* II. HISP. *aniarum* Tab. XXXV.  
ET. NOVI ORBIS. OCCIDVI. REX.  
Effigies Regis fere ut num. LXXXI.

REX. HISPANIÆ. VTRIVSQ. *ue* ORBIS. REGNAT. *ricis.* vel REGNAT.



PHILIP-  
PUS II.  
HISPA-  
NIARUM  
REX.

NAT. or. Figura conveniunt cum  
aversa præcedentis, idemque hic  
est argumentum. *M. Imp. ar.*  
*fus. pond. 3. drach.*

## XCII.

PHILIP PUS HISPA NIA REX.  
PRINCEPS ET INFANTIS SVIS,  
mendose scilicet. Rex PHILIP-  
PUS, filia natu maxima ISABEL-  
LA, & filius PHILIPPUS, qui pa-  
tri successit.

DRIVMPVVS, iterum mendose,  
pro *triumphus*. Rex triumphatoris  
habitu, equo insidens, ac  
exercitu suo cinctus, triumphat.  
In imo scutum *Hispanicum* visi-  
tur.

Rex, cum e Lusitania regno,  
ubi cives sacramento fidei ad-  
strinxerat, & solemniter fuerat  
coronatus, feliciter in Hispaniam  
rediisset, *Mantuam Carpetano-  
rum*, caput regni, anno 1580.  
magna pompa intravit, trium-  
phantis ad instar, qui trium-  
phus hoc nummo exhibetur.  
*M. Imp. e. deaur. apud V. L.*  
*p. 284. ubi in aversa nummi*  
*parte: DRIVMPVVS, legitur.*

## XCIII.

PHILIPPVS. D. ei G. ratia REX.  
HISP. aniarum. Caput Regis  
laureatum, ad pectus cum lorica,  
a dextris sinistrorsum. Pone ca-  
put ancora, *Steinovicensium* insi-  
gne, comparet.

Perigraphæ aversæ partis, ex  
*Psal. CXVIII. v. 165.* desumpta,  
sic fluit: PAX MVLTÀ DILIGEN-  
TIBVS. LEG. em TV. am. Scu-  
tum ducatus *Geldria* biparti-  
tum, in cuius scilicet dextra  
parte leo est aureus, in sinif-  
tro niger. Uterque erectus in-  
cedit. Scutum ipsum positum est

super cruce *Burgundica*. Ad la-  
tera dux cruces & ignitabula;  
figillatim in latere sinistro paullo  
inferius eadem ancora, quæ in  
adversa parte.

Tab.  
XXXV.

Moneta hæc non nisi usualis  
est, ideo tamen notatu digna;  
quia ex earum est numero,  
quæ a *Steinovicensibus*, gravi  
pressis obsidione, ob duplica-  
tum pretium, fuerunt ancora,  
tanquam ipsorum tessera, signa-  
tæ. Videri etiam possunt, quæ  
supra ad num. LXXV. notata  
fuere. *Ibid. p. 286. & apud*  
*LUCK. pag. 276.*

## XCIV.

SVPER. ASPI. dem ET BASILIS.  
cum AMBVLAB is. Ex *Psal. XC.*  
*v. 13.* Rex veterum Imperato-  
rum more paludatus, in pedes e-  
rectus, cum corona in capite,  
dextra gladium evaginatum vi-  
brans, pedibus aspidem & basilif-  
cum calcat.

G. estoirs POVR L. a CHA. mbre  
D. es CONTES D. e B. rabant  
LIM. bourg ET. LVX. embourg A.  
NAM. ur 1582. Scuta *Braban-  
tinum, Limburgense & Luxem-  
burgense* circumdant crucem  
*Burgundicam*, cui ignitabulum  
impositum, e quo aureum vel-  
lus pendet.

Hispani nummum percutien-  
dum curarunt, cum Dux *Par-  
mensis* adversus Ordines Belgii  
quædam prospere gessisset, ca-  
ptis aliquot munitis urbibus,  
ex quo in spem fuerunt dedu-  
cti, fore, ut Rex tandem pe-  
nitentia perdat *ALENCONIUM &*  
*Principem Auriacum*, tanquam  
serpentes & basiliscos. *V. L.*  
*pag. 314.*

## XCV.



Tab.  
XXXV.

XCV.

PHILIPPVS. OMNIVM. HISPAN.  
*ie* REGNOR. *um* ET. V. *triusque*  
SICILI. *e* REX. Effigies Regis  
ut num. LXXIX.

PHILIPPVS. PHILIPPI. F. *ilius*  
PRINCEPS. ARCHIDVX. AVSTRIÆ.  
Protome Principis armata, in-  
signi ordinis aurei velleris orna-  
ta, capite nudo, ad lævam  
converso.

Anno 1584. Rex prospiciens  
regnis suis & provinciis de suc-  
cessore, filium, qui reliquus e-  
rat, unicum, sex annos ha-  
bentem, heredem regnorum  
declaravit, & postquam ab Ar-  
chiepiscopo *Toletano* confirma-  
tus fuerat, Madriti die XII.  
Nov. fidem ipsi sacramento præ-  
stari iussit (a). Quod nummo  
huic locum fecit. *M. Imp. ar.*  
*pond. semunc. 2. drach. & V.*  
*L. p. 343.*

XCVI.

PHilippus. D. *ei* G. *ratia* HI-  
SPA. *niarum* REX. DVX. ET. COM.  
*es* BVR. *gundia*. Caput Regis, ut  
num. LXXV.

GECTZ. *oir* POVR. LA. SAVL-  
NERIE. DE. SALINS. Scutum  
*Hispanicum* coronatum, in area  
hinc inde nota chronologica  
1588.

Sciunt Geographi, esse alium  
Ducatum, alium Comitatum  
Burgundiæ. Et est fortasse hic  
unicus nummus, in quo PHI-  
LIPPUS *Comitis Burgundiæ* titulo  
ornatur. Cæterum in ipso Bur-  
gundiæ Comitatu eum percuf-  
sum esse, inde patet; quia de-  
stinatus dicitur dominio Salinen-

TOM. II. P. I.  
(\*) LETI loc. cit. T. IV. p. 475. seqq.

si, in comitatu hoc sito. *M.* PHILIP-  
*Imp. ex cupro.* PUS II.  
HISPA-  
NIARUM  
REX.

XCVII.

: PHILIPPVS: II: D: *ei* G: *ratia*  
HISPAN: *iarum* REX: Protome  
Regis armata, capite nudo, ad  
lævam converso, cum ordinis  
aurei velleris tessera. In imo,  
sub brachio eius dextro, æra  
Christi adscribitur: 1588. In  
archetypo nummophylacii Vin-  
dobonensis, nec non & in no-  
stro, Regis caput a sinistris dex-  
trorsum sistitur.

In postica sphaera terrestris,  
vinculis ligata, ac duabus ma-  
nibus retenta: quæ æternum fa-  
torum nexum indicare videtur,  
additur in ambitu hemistichii-  
um: SIC: ERAT: IN: FATIS.

Quantum curæ & laboris,  
quantam vim argenti, quantum  
denique temporis in classem su-  
am invictam impenderint Hi-  
spani, qua seditiosos scilicet Bel-  
gas mittere sub iugum, subige-  
re totam Angliam, eaque sub-  
acta, dominium orbis asserere si-  
bi constituerant, nemo, nisi  
omnis expers historiæ, potest  
nescire.

Nec minus vero infelix huius  
navalis expeditionis exitus! In-  
gens tot navium iactura, ab  
Anglis partim & Batavis, par-  
tim tempestatis & procellarum  
vi submersarum, constat.

Rex tanta clade audita, quam-  
vis spe sua ceciderit, ut erat ta-  
men indolis generosæ, nihil fra-  
ctus, nihil commotus, gratias  
Deo retulit, quod vires sibi su-  
persint, aliam comparandi clas-

X  
VAN LOON I. cit.



PHILIP-  
PUS II.  
HISPAN-  
NIARUM  
REX.

fem, atque haud ægre fato, seu potius providentiæ Divinæ se submisit. Quam quidem Regis mentem hic nummus declarat. *M. Imp. æ. V. L. p. 387. & M. S. B. æ.*

## XCVIII.

PHILIPPVS. HISPAN. *iarum*  
REX. MED. *iolani* DVX. 1589.  
Caput Regis nudum ad pectus, cum lorica & paludamento, ad lævam conversum.

ONERI. NON. SVCCVMBIT.  
ATLAS NON HERCULES, cælum portans, sed remissis genibus, quasi fessus.

Recordemur Regem, cum ad regni gubernacula primum admoveretur, sub ATLANTIS schemate in nummis fuisse exhibitum (a). Hoc ergo nummo docetur, illum, licet ætate provectum, ac per tot iam annos Imperii tam vasti, tamque ampli habenas moderantem, tot bellis & curis defessum, nondum tamen succumbere oneri, sed pari constantia, atque animi robore illud deinceps quoque sustentaturum. *V. L. p. 399.*

## XCIX.

DIVO. PHILIPPO. II. HISP.  
*aniarum* REG. I ET. D. OMINO  
PHILIPPO. III. D. IVI F. ILIO  
1592. & in segmento: PRO-  
PVGNATORIBVS. subintellige: FI-  
DEI. Capita Regis filiique eius adversa, ad pectus cum lorica, gladio nudo erecto, inter utrumque interposito. Patris caput laureatum est, filii nudatum, qui iam *Tertius* vocatur; quippe successor, ut diximus

(a) Supra num. IV.

(b) a patre iam designatus.

Tab.  
XXXV.  
b

LÆTARE MATER ECCLESIA. Figura muliebris tiaram Pontificiam, cui columba infidet, in capite gestans, ac sedens a fronte: manibus exporrectis, dextra globum crucigerum cum duabus clavibus, sin. itidem columbam sustinet. Hæc *S. Romanæ Ecclesiæ* symbolum est.

ALEXANDER *Farnesius* Dux Parmensis, qui se, iussu Regis, partibus fœderatorum Galliæ adiunxerat, magnum hoc anno rebus HENRICI *Burbonii* attulit detrimentum, cum eum *Rotomagi* obsidionem coegisset solvere.

Quo ipso contra hæreticos, Catholicorum in Gallia partes egregie sunt confirmatæ. Cuius rei gloria cum & in PHILIPPUM redundaret; quippe cuius auspiciis omnia gesta fuerunt, nummus hic eius honori fuit datus: filio quoque in laudis societatem veniente. *Ib. p. 419.*

## C.

PHILIPPUS. D. EI G. RATIA HISP.  
*aniarum* PORTUGALLIÆ. Z. (ET CÆTERA)  
REX. CO. MES. F. LANDRIÆ 1596. Ef-  
figies Regis, fere ut num. LXXIX.

In postica parte scuta *Hispaniæ & Lusitaniæ* columnis Herculis affixa, & fasciis connexa, imminente superius corona, & addito in margine nummi hemistichio: IMMENSI. TREMOR. OCEANI. 1596.

Rex classis invictæ iactura animo haud deiectus, iussit hoc anno *Ulyssipone* novam & ingentem classem CXXVII. navium comparari, Belgis interitum min-

(b) Num. XCV.



Tab.  
XXXV.

nantem. Qui ingens navalis apparatus hoc nummo celebrandus erat; quod ante VIII. annos simili plane nummo fuerat factum, apud VAN LOON (a) ære expresso. *Ib.* p. 475.

CI.

PHilippus. II. DEI. GRA. tIA  
HISP. anie INDI. & NEAPO. lis SI-  
CI. lie SARDI. nia REX. ANNO  
1598. ÆTA. tis SVÆ 71. Pro-  
tome Regis togati, pallio pel-  
liceo induti, nec non insigni  
aurei velleris conspicui, dextra  
exerta sceptrum tenentis: capi-  
te pileo turbinato operto, a si-  
nistris dextrorsum.

Aversa pars insignia Regis,  
torque aurei velleris cincta, ex-  
hibet, addita perigraphæ, quam  
plus simplici vice vidimus: .DO-  
MINVS . . . MIHI . . . ADIVTOR.

Hic maioris moduli nummus  
claudit quasi agmen eorum,  
qui vivi Regis honori fuerunt  
dati. Namque hunc ipsum an-  
num funestum habuit, defun-  
ctus die XIII. Sept. postquam  
filie ISABELLÆ die VI. Maii do-  
minium provinciarum Belgica-  
rum & Burgundicarum dotis  
nomine, ut postea videbimus,  
cesserat. *Ib.* p. 496.

NUMMI  
INCERTÆ ÆTATIS  
ICONICI ET RESTITUTI.  
CII.

IMP. erator CAR. olus V. ET.  
PHI. lippus PRINC. eps ISP. anie.  
Protomæ iugatæ, CAROLI Cæ-  
saris armati & laureati, nec non  
insigni ordinis aurei velleris con-

TOM. II. P. I.  
(a) Loc. cit. p. 382.

spicui, & PHILIPPI, eius filii, PHILIP-  
pariter, ut videtur, armati. PUS II.  
HISPA-  
NIARUM  
REX.

Huius nummi iconici, aver-  
sa parte destituti, figuræ haud  
eminent, sed impressæ seu in-  
sculptæ, quasi typus esset sigil-  
li. Fabricatus est autem sine  
dubio antequam pater filio Hi-  
spaniæ regna cesserat. Ideo  
Princeps tantum Hispaniæ nomi-  
natur. *M. S. B. æ. sine postica.*

Eundem nummi typum non  
impressum, sed cufum ex ære  
vidi in museo BUOLIANO: a-  
versa exhibet suetas CAROLI V.  
columnas cum lemmate: PLVS  
VLTRA. & inscriptionis loco peri-  
pheria cincta est torque aurei vel-  
leris.

CIII.

PHilippus. D: ei G. ratia HISP.  
anie ANG. lie z. (cetera) REX.  
DVX. BRAB. antie. Caput Re-  
gis coronatum, ad pectus, cum  
lorica, & paludamento, nec  
non ordinis aurei velleris tesse-  
ra, a dextris sinistrorsum.

DOMINVS. MICHI. ADIVTOR.  
Scutum *Hispanicum* coronatum,  
aureo vellere circumdatum.

Apparet ex *Regis Angliæ* titu-  
lo, quo PHILIPPUM hic num-  
mus ornat, eum ante MARIÆ  
mortem cufum: nisi forte a mo-  
netarum magistro antiquus qui-  
dam typus denuo adhibitus fu-  
erit; id quod alias factitatum,  
ut in notis ad num. LXII. iam  
observavimus.

Similis, sed minoris formæ,  
reperitur in *Collectione Grosso-*  
*rum* (b). *M. Imp. au. pond.*  
*sesqui ducat.*

X 2 CIV.  
(b) Locul. III. Tab. VI. n. 52.

b



PHILIPPUS II.  
HISPANIARUM  
REX.

CIV. PHILIPPVS. REX. CAROLI. V.  
CÆS. ARIS FL. LINS. Caput Regis  
fere ut num. XLVII.

HERCULES pelle sua leonina amictus, ANTÆUM in altum tollens, adscripto utriusque nomine: HERCVLIS. pro *Hercules*, ANTHEVS. Luctans nimirum cum ANTÆO HERCVLES, ut fabularum scriptores docent, cum eum in terram proiectum, ab eadem, tanquam matre sua, novas accipere vires sensisset, sublatum in aerem suffocavit.

Est hoc symbolum cum paucis obscurem. Si coniecturæ locus: HERCVLES PHILIPPI, ANTÆUS ANTONII, LUDOVICO Duci de *Beja* EMANVELIS *Lusitaniae* Regis filio, ex consortio nati, personam sustinet, quem cum Lusitani, post mortem HENRICI, Regem proclamassent, PHILIPPUS vi armorum ita disiecit, ut regno deturbatus, in Franciam, ac deinde in Angliam aufugere coactus fuerit (a). *M. Imp. ar. susp. pond. semunc.*

## C V.

PHILIPPVS. DEI. G. RATIA HISPANIARVM. REX. Caput Regis laureatum ad medium pectus, quod armatum, & ordinis aurei yelleris tessera conspicuum est, a dextris sinistrorsum.

In averfa figura militaris, cum galea cristata in capite, stans, dextra hastam puram tenet, sin. lateri admota, capulum gladiiprehendit. Adicitur in ambitu

(a) Vid. cit. LETI T. IV. p. 316, seqq. & 357. seqq.

perigraphæ: OMNIS. POTESTAS. EI. SVBIECTA.

Tab. XXXV.

Hunc nummum, qui apertam adulationem sapere videtur, Clar. VAN LOON post pacem, cum Gallia Rege anno 1559. initam, prodiisse existimat; quippe quod Rex iam tunc ob summam potentiam, cum pari felicitate coniunctam, vicinorum Principum terror evaserit adeo, ut iam nihil eius potestati resistere posse existimaretur; id quod inscriptioni averfæ partis locum fecisse docet. Quam quidem interpretationem, quemadmodum nos in medio relinquimus: ita non minori iure nummum ad ea tempora referri posse putamus, quibus Rex mira celeritate ac felicitate regnum Lusitaniae sibi asseruit, quo eius potentia aucta adeo est; ut re ipsa vix maior tunc in orbe quam PHILIPPI potestas fuerit. Potest etiam nummus in omen monarchiæ universalis, quam Rex animo, ut supra diximus, voluisse creditur, cusus fuisse. *V. L. p. 36.*

## C VI.

PHILIPPVS. DEI. G. RATIA HISP. ANIA REX. DVX. GEL. DRIA. Effigies Regis ut num. LXXV.

In averfa scutum *Hispanicum* coronatum, cruci *Burgundicæ* impositum inter duo ignitabula, pariter coronata. In ambitu duo de viginti parmulae hoc ordine comparent: *Castiliae, Legionis, Neapolis, Sicilia, Burgundiae, Limburgi, Luxemburgi, Flandriae, Namurci, Zelandiae, Hannoveriae.*



Tab. XXXV.  
*nonia, Artesia, Hollandia, Geldria, Brabantia, Austria, Granata, Arragonia.* KOEHL. m. b. l. P. II. p. 241. nummus uncialis Geldria.

CVII.

PHILIPPVS. REX. HISPANIARUM. Effigies Regis ut num. LXXXI.

Perigraphen aduersæ pars averfa sic profequitur: DVX. MEDIOLANI. Scutum coronatum, in quo Regis insignia, miro & insolito modo disposita comparent.

Quo anno nummus cufus fit, definiri haud potest. Nam *Ducatum Mediolanensem* PHILIPPUS, una cum regno *Neapolitano*, iam anno 1554. quo nuptias cum MARIA *Anglica* celebravit, feudi loco acceperat. Post annum tamen 1556. signatum esse, docet titulus: *Regis Hispaniarum. M. Imp. a. pond. 3. drach.*

CVIII.

PHILIPPUS. D. ei G. ratia HISPANIARUM REX. CATHOLICVS. Caput Regis ut num. præcedenti. In area hinc inde æra Christi 1570. legitur. In inferiori margine apposita parmula nummum *Traietti* cufum denotat.

ISABELLA. D. e VAL. ois PHILIPPI HISP. anie REGIS. VXOR. Caput ISABELLÆ eleganter comptum, ad pectus. Repetitur inferius parmula aduersæ partis.

De connubio PHILIPPI cum ISABELLA, tanquam pacis quasi sigillo, supra iam satis dictum. Sed cum ISABELLA mortua dicatur a. 1568. mirum, quod

biennio post in nummo hoc adhuc compareat. Erit igitur inter restauratos referendus. *M. Imp. ex cupro.*

PHILIPPUS II. HISPANIARUM REX.

CIX.

PHILIPPUS. D. ei G. ratia. REX. HISP. anie. Capita iugata Regis & quatuor Reginarum, uxorum eius, ad medium pectus, a sinistris dextrorsum. Utraque nummi facies corona laurea marginata est.

In averfa scutum *Hispanicum*, cruci *Burgundica* impositum, in cuius quatuor angulis totidem scuta, tesseris gentilitiis dictarum quatuor uxorum conspicua visuntur, quarum nomina, adiecto ubique anno, quo illæ PHILIPPO in matrimonium elocatae fuerunt, in ambitu leguntur: ISABELLA. 44. MARIA. 54. ELISABET. ha. 59. ANNA. 70. ubi tamen animadvertendum, numerum 59. nomini ELISABETHÆ seu ISABELLÆ *Francica* adscriptum, annum desponsationis, non ipsius matrimonii, quod anno primum insequenti consummatum est, significare. *M. Imp. ar. pond. 1. unc. 3. drach. M. S. B. a. deaur.*

CX.

Perigraphæ aduersæ partis deleta est: Rex apparet solito habitu, ad lævam conversus.

Tab. XXXVI.

MARGARITA AVSTRIA. ca. Caput MARGARITÆ dextrorsum conversum, capillis pulchre intortis, cum collari ex unionibus, crucicula instructo.

MARGARITÆ nummos inter CAROLI V. proles data opera



PHILIP-  
PUS II.  
HISPA-  
NIARUM  
REX.

a

pera recensuimus, ac supra (a) quoque alium, huic non absimilem dedimus, ubi ex altera eius parte PHILIPPI effigies pariter cernitur. Tanti nempe PHILIPPUS sororis suæ prudentiam fecerat, ut cum ea in nummis sæpiusculæ apparere voluerit. *M. Imp. ar. pond. semunc. 3. drach. fus.*

## CXI.

PHILIP. PUS REX. CAST. *ilia* LEG. *ionis* ET GRAN. *ata*. PRINCEPS ET FERDINAND. *us* REX. VNG. *aria* ET. BOE. *mie*. PROTOMÆ PHILIPPI & FERDINANDI iugatæ. Uterque togati & torque ordinis aurei velleris conspicui, pileisque singularis formæ tecti sunt.

Est hoc numisma iconicum uti elegantia, ita etiam singulari forma conspicuum. Non enim, ut cæteri nummi, planum est, sed area eius in scutellæ formam cava: imagines nihilominus opere anaglypho, seu eminenti representat.

Nescio autem quo infelici facto nummus tam insignis elegantia ac singularitatis huc loci irrepsit. Non enim ad PHILIPPUM II. sed I. felicem illum linæ Aufriaco-Hispanicæ statorem, & FERDINANDUM eius filium, postea Romanorum Imperatorem pertinet. Interim haud dubie inter restitutos adnumerandus; cum, quando FERDINANDUS Rex Bohemiæ designatus est, PHILIPPUS pater eius pridem inter vivos esse desiderat. *M. Imp. ar. pond. 2. unc. 2. drach. S. B. ar. deaur.*

(a) Tab. XXXII. num. XXXVII.

CALCULI  
ET  
MONETAE RELIQUAE.  
CXII.

Tab.  
XXXVI.

PHILIPPVS. D. *ei* G. *ratia* HISPANIARVM. REX. Caput Regis fere ut num. XXVII.

GITONES. DEL. BVREAV. DE. SV. MAG. *estad*. Scutum coronatum cum omnium PHILIPPI regnorum ac provinciarum, quibus anno 1555. qui in area nummi adscribitur, imperitabat, insignibus iunctis.

Quod PHILIPPUS in hoc calculo, uti & in aliis bene multis *Rex Hispaniarum* in plurium numero scribatur, id, puto, præter alias causas, inde fit; quia Hispania a Romanis olim in citiorem & ulteriorem fuit divisa. *V. L. p. 9.*

## CXIII.

G. *ectior* DV. BVREAV. DES. FINANC. *es* 1557. Rosa Anglica circumdata tesseriis *Burgundia*, *Arragonia*, & *Castilia* inter se iunctis, pendens sub corona regia.

CONCORDES. SERVAT. AMICITIA. Scuta, quæ referunt insignia *Hispanica*, & *Anglica* coronata, aureo vellere cincta.

Conservat nummus memoriam amicitia inter Anglos & Hispanos, hoc ipso anno renovata, quo PHILIPPUS Gallis bellum indixit, & MARIAM, ut idem faceret, permovit. *Ibid. p. 14.*

## CXIV.